MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS I)

Heiligenkreuz, 1183/1200 Seite 143r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30277
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

a vobis vocatus sum. Qua autem ex causa vocatus sum, dicite. Et Irinarcus dixit: Nosti domine preceptum imperatoris? Ille ait: Ego preceptum omnipotentis dei novi, non preceptum imperatoris. Irinarcus dixit: O nestor, consenti cum tranquillitate ne conveniaris in iudicio. Nestor dixit: Cui consentio? Ille autem dixit: Preceptis. Nestor dixit: Celestis regis preceptis consentio. Ille dixit ei: Demonium habes. Nestor dixit: Utinam vos demones non haberetis, nec demonia coleretis. Irinarcus dixit: Quomodo ausus es dirus sine deos demones appellare? Beatus nestor dixit: Ego hoc et racione consigno et confessione eorum qui exorcizantur: ut intelligas quia demones sunt quos adoratis. Et irinarcus movens secundum morem vacuum caput suum dixit: Ego te faciam apud presidem per tormenta confiteri deos veros esse deos. Et sanctus nestor signaculum crucis ponens in fronte sua dixit: Quid minaris? Tormenta dei mei timeo, non tua; non iudicis tui. Verumtamen et in tormentis et extra tormenta confitebor christum filium dei vivi. Irinarcus non negligens neque procrastinans, prece imperii gens. Et tradidit sanctum martyrem duobus insecutoribus. Ipse quidem precedebat, sequebatur autem agnus lupum. Cumque in via essent, terre motus factus est repente non modicus, et vox e celo lapsa est confortans martyrem suum. Illi vero stupentes super hoc negotio timore timebantur cum conscientie stimulis quod sanctum virum tenerent. Interrogaverunt eum dicentes: Domine episcope, unde sonus hic et terre motus? Ille autem dixit: Signum christi dei mei factum est. Et cum venissent in civitatem quarta sabbati hora undecima, manserunt in pandocio quodam extra civitatem. Et cum retulisset irinarcus ad presidem de sancto martyre, sedit mane preses pro tribunali, et oblatus est ei sanctus nestor.

Et Irinarcus porrexit relationem urbano adiutori. Et cum iussisset preses recenseri suam relationem, urbanus adiutor recitavit dicens: *epistola.* Heu patris et socrates et omnis curia domino presidi prestantissimo salutem. Divinis litteris advenientibus domini nostri maximiani ad sacrificia domine claritatem et iubentis ut omnes christiani ad sacrificia perducantur atque a sententia male sua instituta revocentur: humanitas tua nichil dure vel perturbate ad hec explenda sed quiete agere voluistis; parum proficit hec lenitas. Cum illi obstinatione quadam edictum imperiale contempnunt. Nam et hic rogatus a nobis et ab omni curia, non solum ipse non adquievit, sed et omnes qui sub eo sunt, utpote principes sui exemplum exsequentes, parare animos ad explenda que iussa sunt noluerunt. Nos interim suadere istum non destitimus, ut secundum victoriosissimi regis epistolas ad templum iovis veniret. Sed iste contumax et contumeliosus ad quos est deos immortales. Ipsum et iam imperatorem licet absentem non parvis iniuriis affecit; inde quoque nichil omnibus eadem loquendi pertinacitate usus est. Unde coacta est omnis curia destinare eum ad claritatem tuam. Et preses dixit: Quis diceris? Beatus nestor dixit: Christi famulus. Preses dixit: Non de actu tuo, sed de nomine requisivi. Nestor dixit: Meum nomen est preclarum, hoc est me christianum. Si autem vis temporale nomen agnoscere, nestor vocor. Preses dixit: Quid ergo? Immola et suaderis sine tormentis iurare per deos, ut velocissime scribam ad dominum imperatorem ut princeps sis sacerdotum, et omnia sub tua sint potestate, et honores accipias ac munera, sed et confessor noster fias, ut possis preclare multis annis vivere. Sanctus autem martyr inspiciens in celum et signans se dixit ad presidem: Etiam si carnes meas multimoda pena discindas, si vincla, si bestias, si gladios pares, donec spiritus in naribus meis est, non negabo nomen dei mei, quod est super omne nomen. Iudex autem iussit eum suspendi et torqueri. Ministri autem tam alto vulnere ungulas imprimebant, ut coste eius nudarentur. Beatus autem nestor psallens dicebat: Benedicam domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Iudex autem stupens super tolerantiam viri dixit ad martyrem: Homo infelicissime, non erubescis in hominem spem tuam ponere, et hoc in biathanato? Beatus nestor dixit: Hec nimirum sit confusio et omnibus qui invocant nomen domini nostri ihesu christi. Cumque turbe clamarent ut exterminaretur, interrogabat eum preses per preconem: Vis immolare an non? Et sanctus martyr fiduciam habens in christo dixit ad eum: Impiissime et iniquissime, fili diabole, non solum tu non vereris deum, qui tibi hunc donavit principatum. Per ipsum enim reges regnant, et tyranni optinent terram, et principes scribunt iusticiam, sed et me cogis relinquere eum unum et verum deum factorem et salvatorem omnium nostrum, et adorare vana et saxea symulachra? Preses dixit ad eum: Quid vis nobiscum esse aut cum christo tuo? Et sanctus martyr dixit: Cum christo meo fui et sum et ero. Videns ergo iudex obstinationem tollerantie eius, protulit adversus eum sententiam dicens: Quoniam non consensisti nestor victoriosissimo regi, neque diis immortalibus, sed secutus es ihesum crucifixum sub pontio pylato, audeas ut audio, ergo ut non sis indevotus deo tuo, habeto eius sententiam, ut ligno pereas crucifixus. Cumque iussisset iudex cum omni celeritate preparatum est lignum ut crucifigeretur. Confixus autem ligno beatus nestor docebat singulos christianorum dicens: Filioli, stabilis sit nostra confessio ad deum, et non negemus eum, qui pro nobis passus est christus, ne gaudeat diabolus de famulis christi. Conpatiamur ei ut conglorificemur, non negemus eum, ut ipse nos non neget. Memores estote quia pater eum misit redemptorem animarum et abolicionem peccatorum nostrorum, qui peccatum non fecit, et pro nobis peccatum factus est, et omnes ei nos donavit pater, ut in nomine ihesu omne genu flectatur celestium terrestrium et infernorum, et omnis lingua confitea

crucifigitur sanctus nestor.